

propositus caueant, ne sacerdotes alijs q̄ debitis horis celebrent,  
neue ritus alios, aut alias ceremonias, et preces in Missarum  
celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Ecclesia probatae  
ac frequenti, et laudabili usu receptæ fuerunt. Quarū  
dam uero Missarum, et candelarum certum numerum, qui  
magis a supersticioso cultu, q̄ a uera religione inuentus est,  
omnino ab Ecclesia remoueant, doceantq̄, populum quis sit, et  
a quo potissimum proveniat huius sanctissimi Sacrificij tam  
preciosus, ac celestis fructus. Moneant etiam eundem popu-  
lum, ut frequenter ad suas Parochias, saltim diebus Domini-  
cis, et maioribus festis accedant. Hæc igitur omnia,  
quæ summam enumerata sunt, omnibus Locorum Ordina-  
rys ita proponuntur ut non solum ea ipsa, sed quæcumq̄  
alia huc pertinere uisa fuerint, ipsi pro sata sibi a sacro  
sancta Synodo potestate, ac etiam ut Delegati Apostolici,  
prohibeant, mandent, corrigant, statuunt, atq̄ ad ea inuisi-  
late seruanda censuris Ecclesiasticis, alijsq̄ penis, quæ  
illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellat  
non obstantibus priuilegijs, exemptionibus, appellacionibus  
et consuetudinibus quibuscumq̄.

(16a) Decretum de Reformatione publicatum in eadem sessione  
vi. s. Conc. Trident. die xvi. Septembris 1562

Eadem sacrosancta synodus r̄c. Ut Reformationis negotium  
prosequatur hæc in presenti sessione statuenda censuit.

Canon Primus

Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assiduo  
instruat, q̄ eorum uita uita, et exemplum, qui se Diuino mini-  
sterio dedicauerunt. Cum enim a rebus saeculi in altiore sublati  
locum conspiciantur, in eos tanq̄ in speculum reliqui oculos conij-  
ciunt, ex hisq̄ sumunt, quod imitentur. Quapropter, sic decet om-  
nino Clericos in sortem Domini uocatos uitam, moresq̄ suos omnes  
componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, alijsq̄ omnibus rebus  
nil nisi graue, moderatum, ac religione plenum praeseferant.  
Leuia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eor-  
um actiones cunctis afferant uenerationem. Cum igitur quod maiori  
in Ecclesia Dei et utilitati, et ornamento haec sunt, ita etiam di-  
ligentius sunt obseruanda. Statuit sancta Synodus, ut quae alijs  
a summis Pontificibus, et a sacris Concilijs de clericorum uita  
honestate, cultu, doctrinaq̄ retinenda, ac simul de luxu, com-  
messationibus, choreis, aleis, luscibus, et quibuscunq̄ criminibus  
necnon secularibus negotijs fugiendis copiose ac salubriter san-  
ctae fuerunt, eadem in posterum eisdem poenis uel maioribus, ar-  
bitrio Ordinarij imponendis, obseruentur. Nec appellatio exe-  
cutionem hanc, quae ad morum emendationem pertinet, susce-  
dat. Si qua uero ex his in desuetudinem abisse compererint  
ea quam primum in usum reuocari, et ab omnibus accurate  
custodiri studeant. Non obstantibus consuetudinibus quibus-  
cunq̄, ne subditorum neglecta emendationis ipsi condig-  
nas Deo iudice poenas persoluant

### Canon II.

Quicumq̄ posthaec ad Ecclesias Cathedralis erit assumendus  
is non solum natalibus, etate, moribus, uita, ac alijs quae a

12  
sacris Canonibus requiruntur, plenè sit præditus. Verum etiam  
in sacro ordine antea saltem sex mensium spatio constitutus  
quarum rerum instructio (si eius <sup>nulla</sup> notitia, aut recens in curia  
fuerit, a sedis Apostolicae Legatis, seu Nunciis Provinciarum  
aut eius Ordinariis; eoque deficiente a vicinioribus Ordina-  
riis sumatur. Scientia vero, præter hæc eiusmodi polleat, ut  
muneris sibi iniungendi necessitati possit satisfacere. Ideoque  
antea in Universitate Studiorum Magister, sive Doctor  
aut Licentiatus in sacra Theologia, vel iure Canonico  
merito sit promotus, aut publico alicuius Academiae te-  
stimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quod si re-  
gularis fuerit, a superioribus sue religionis similem fi-  
dem habeat. Prædicti autem omnes, unde instructio, seu  
testificatio erit sumenda, hæc fideliter, et gratis referre te-  
neantur. alioquin eorum conscientias graviter oneratas  
esse sciant, ac Deum, et suos Superiores habebunt ultores

### Canon . III .

Episcopi, etiam tamquam Delegati Apostolici ex fructibus, et  
proventibus quibuscunque omnium dignitatum, Personatum  
et Officiorum in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, existe-  
ntium, tertiam partem in distributiones eorum arbitrio assig-  
nandas dividere possint, ut scilicet qui eas obtinent, si  
personaliter competens ibi servitium, iuxta formam ab  
eisdem Episcopis præscribendam, quolibet die statuto non im-  
pleverint, illius diei distributionem amittant, nec eius quo-  
quo modo dominium acquirant. sed fabricæ Ecclesiæ, quate-  
nus

vite post 114 folia, ubi ait quatenus indiget